



A Santa Sé

PIUS PP. X

EPISTOLA

*VIDE QUAE SIT**

AD R. P. D. VALERIUM LASPRO, SALERNITANUM ARCHIEPISCOPUM,
QUINQUAGESIMUM EPISCOPALIS MUNERIS ANNIVERSARIUM CELEBRANTEM,
GRATULATIONIS ERGO

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Vide quae sit Nostra in te
benevolentia. Vix enim Nobis nuncium allatum est te integre naviterque gesti episcopalis muneris
propediem celebraturum natalem quinquagesimum, nihil sane habuimus antiquius quam tibi per
hasce litteras adesse, fausta felicia cuncta adprecaturi. Quin etiam alterum addimus pietatis
argumentum. Neque enim ad te solum patere cupimus cor Nostram, sed et ad universos tecum
una laetantes fideles; ut quos eadem sociat domestica laetitia, eadem omnes complectatur
pontificia caritas. Tibi igitur die octava Maii, Sacrum ad aras, ut Nobis fertur, sollemniter iteraturo,
facultatem concedimus Papalem Benedictionem cum Indulgentia Plenaria iis impertiendi
adstantibus qui, admissis expiatis, Sancta de altari libaverint. Hanc demum paterni animi
significationem pleniorem facimus apostolica benedictione, quam tibi, Venerabilis Frater, et tuae
concredito vigilantiae Clero populoque peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. II (1910), n. 8, p. 328.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana